

in statu bonorum operum, esse in statu damnationis, seuerè suis inculcat? Quam perspicua eius ecclesiae sanctitas, quae ad bona opera virtutem diuinam requirit, quam Deus non nisi reconciliatis donat? Quodsi enim ante reconciliationem nulla sunt bona opera, certe per illa non fit reconciliatio, qua tamen ante omnia opus est, antequam vllum sit inter Deum et homines commercium. Hoc commercio autem instituto peruenit gratia diuina in mentem hominis, vt de die in diem renouetur ad imaginem eius, qui ipsum creauit. Ne credas iis, qui, ex confusis notionibus nos cogitare, Tibi persuadent, nos, qui solícite reconciliationem hominis ab emendatione animi distinguimus, vtramque autem adesse debere credimus.

Nostri confessio fidei non est alia, quam Pauli Apostoli. Quodsi quis huius sententias fonte ex turbido confusarum notionum profluxisse adfirmat, nos facile ferimus istam iniquitatem, quia malumus sentire cum accuratissimo et solidissimo Apostolo, quam cum confusis scholae tenebricosae doctoribus. Paulus verò, qui tam contra Ethnicos, quam Iudaeos disputauerat, ipsis obiiciens, neminem posse secundum eorum doctrinam saluum fieri; contra posteriores, *Rom. II, 10-19.* multos scripturae locos cumulauit, omnes homines peccatores esse, euincens. Efficitur inde ratissime ex his, versus 20. propositio: EX OPERIBUS LEGIS NON IUSTIFICABITUR OMNIS CARO CORAM ILLO. NAM PER LEGEM AGNITIO PECCATI. Quae enim legis sint opera, nos ignorare non finit Apostolus, addens, se loqui de ea lege, ex qua oritur agnitio peccati. Haec lex decalogus est (conf. *Rom. VII, 7.*) amorem Dei et proximi praecipiens *Matth. XXII, 37-40.* Vnde sensus Apostoli hic prodit: Ex actibus amoris Dei et proximi non iustificabitur omnis caro coram Deo. Nam lex amoris nos docet peccata nostra, et lapsus; nec potest ipsi perfecta obedientia praestari. Iam siue opera cogites philosophica, siue illa legis caerimonialis, siue actus amoris Dei, qui non aliter esse possunt, nisi per gratiam diuinam, inde omnia excluduntur ab Apostolo ex negotio iustificationis. Transit igitur ad positium, quum negatiuum, nempe opera legis, sustulisset. Exponit, quid iam in nouo testamento iustificet. Ait *v. 21.* NUNC VERO SINE LEGE IUSTITIA DEI MANIFESTATUR, TESTIFICATA SUB LEGE, ET PROPHETIS. *Manifestatur*, inquit, id est, ad cognitionem nostram perducitur, id est, nos docemur, et quidem NUNC, *bis temporibus.* Quid autem docemur? IUSTITIAM DEI. Cum peccator coram iudicio Dei comparere debeat, patet, iustitiam eum esse

esse